

Lucius. Dext.]

Idemque docet Lucius Dexter in sua chronica eodem die. De hora vero qua Christus ascendit jam dixi supra q. 7. n. 4. 1.

Locus Ascensionis.

177.

Ludolph.

Cur Christus de monte Oliveti ascendit.

Glossa. Raban. Hugo.

178.

Luc. 21.

Luc. 22.

179.

Solum Christi nomine iter ad caelum.

Arator.

180.

Glossa. Hugo.

181.

Tria miracula.

182.

D. Hieron.

Lotin.

Exod. 16.

Exitit mons Oliveti & patet ex presenti text. n. 12. De sacris Apostolis post Christum assumptum in Caelum dicitur, Reversi sunt Ierosolimam a monte Oliveti. Ludolphus 2. p. de vita Christi cap. 82. ex antiqua editione legit: a monte trium luminum: quia mons Oliveti de nocte, inquit, ex parte Occidentis illuminabatur igne templi; mane ex parte Orientis, radiis Solis, quibus statim fulgebatur, tertio ex copia Olei, qua abundabat; quae tria conveniunt Ecclesiae, ut inquit Glossa, Rabanus. Hugo. Habet lumen doctrinae inter tenebras errorum Haereticorum; habet lucem solis in administranda iustitia, habet & copiam olei, scilicet puritatem conscientiae in multa charitate.

Mons Oliveti, qui sic dicebatur a multis Olivis, quibus constitus, ac fertilis erat, ab hoc monte Christus ascendit in caelum. Primo, quia ibi exitit initium Passionis Christi, ibi a Iudaeis comprehensus est, conveniens fuit, ut ibi esset initium Christi gloriae. Secundo Christus frequenter ibi oravit ad Patrem ac pernoctavit; Luc. 21. n. 38. & cap. 22. n. 39. & aliis locis.

Tertio; oleum seu Olivetum, significat misericordiam, quam Christus nobis dedit, & secum a portavit in caelum. Oleum esse suum nomen unum. Cant. 1. n. 2. Quarto Olivae referunt, ac denotant Christi nomen, quod ab unctione derivatum est, & ideo de nota, ac signo sui nominis ascendit in caelum, & denotatur quod de Christi nomine habebimus, ut felicitia itinera sequamur ad gloriae, ut Arator. lib. 1. in Acta cecinit.

Divinus commendat odor, cum desuper unctos Abluit meritis Christi de nomine Christina.

Quinto Hugo & alii cum Glossa. Inde ascendit Christus in caelum, unde Antichristi Sathanas morte inflata ab Angelo est casurus in infernum. Sexto: Vallis Josaphat subjacet monti Oliveti, & exiguum spatium interjacet ex eo ad urbem Ierosalem, ex ipso monte Christus in caelum ascendit in quo in fine mundi est venturus iudicare, ut Iudaei, & infideles, qui noluerunt gustare dulcissimum mel suae doctrinae, experiantur amarissimum fel suae sententiae damnationis aeternae.

De tribus miraculis, quae usque hodie etiam inter Turcas perseverant, quod ibi sunt Christi vestigia tanquam in cera impressa, quae nunquam poterunt deleri. Secundum, quod locus ille nunquam passus fuit tegi, marmore, vel alia re. Tertium, quod ibi edificato templo, illa pars, per quam Christus ascendit, nunquam potuit tegi: Hoc latius tractavi tom. 5. in Evangelia lib. 9. cap. 10. q. 15.

Iter Sabbati.

Id est distans a Ierosalem tanto spatio, quanto licitum erat Iudaeis agere in Sabbato, quod erat modicum spatium. In hac re multiplex Auctorum sententia, & multis missis, de quo commentatores latius agunt, breviter sententiam D. Hieron. sequor Epist. 15. ad Algasia v. q. 10. ubi ex Rabbiniis iter Sabbati definit esse ambulationem bis mille pedum. Bis mille pedes faciunt 400 passus; & haec sententia mihi placet & Lorino, ac aliis recentioribus, quia Iudaeis in Sabbato solum licitum erat agere modicum iter; ut patet Exod. 16. n. 29. ubi mandatur: Maneat unusquisque apud semetipsum, ne egrediatur de loco suo die

septimo. Proindeque 400. passus parum plus quam quartam partem unius milliarii explent.

Joseph lib. 6. de bello Judaic. c. 3. a radice montis Oliveti usque ad Ierosalem numerat 625. passus, a cacumine montis ex quo Christus ascendit numerat passus 750. qui efficiunt dimidium milliarem Italicum. Torrens autem Cedron interjacet inter montem & Ierosalem, & haec sententia etiam est probabilis, & eam tenent Cornelius a Lapide, & alij.

Cenaculum.

Antiqua fuit consuetudo apud veteres Hebraeos ac Romanos, ut ex multis Auctoribus, ac etiam ex iure civili testatur Tiraquellus in Alexandrum ab Alexandro 1. 3. c. 14. in superiori parte domus amplas aulas habere, ad convivium, & cenas, ac coetus celebrandos.

Cujus autem hoc cenaculum, seu domus fuerit, & in hoc multa est Auctorum varietas. Nicephor. lib. 1. Historiar. c. 23. Cedrenus in suis Annalibus, existimant fuisse Joannis Evangelista; Theophyl. in c. 26. Math. putat fuisse Simonis Leprosi, Euthym. Maldona. Noster Beauxan. ad citatum c. 26. Math. tenent fuisse Josephi ab Arimathia, vel Nicodemii, vel alterius viri divitis ex Christi discipulis occultis.

Probabilis est, ut ex multis probavi tom. 5. in Evangelia lib. 7. c. 4. q. 3. n. 28. fuisse domum Mariae matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, fuit consobrini Barnabae, in cuius domum Petrus e carcere liberatus se recepit; Act. 12. n. 12. Atque in ipso resurrectionis die Christus apparuit discipulis; in illaque ipsa die Pentecostes Spiritus Sanctus missus; in illaque ultimam cenam cum suis Apostolis celebravit, in ea Petrus e carcere eductus caeteros Apostolos ad preces collectos invenit. In casus rei memoria consecrata est Ecclesia in monte Sion, ut testatur D. Hier. Epist. 27. Beda de locis sanctis c. 2. 3. qui etiam addunt, quod ibi reposita est columna, ad quam Christus alligatus, flagellatus est.

QUESTIO XXVIII.

Quare sacri Apostoli cum mulieribus, tanta instantia erant perseverantes in oratione?

Erant perseverantes Apostoli unanimiter in oratione cum mulieribus; Una eadem domo, ac loco, erant Apostoli simul cum mulieribus, nec ab illis erant separati; & quando tunc Apostoli erant simul cum mulieribus, cur modo tanta in Ecclesia cautela, ut mulieres maxime sint separatae a virorum loco, si rem optime explanat D. Chryf. Homil. 74. in Math. & ait: Apostolorum etiam tempore, una viri, & mulieres orabant; & mulieres, vera mulieres; viri similiter veri erant; Nunc e contrario, mulieres quidem meretricum sibi mores assumpserunt, viri autem furorem equorum imitantur. Hanc miseram conditionem hujus saeculi, maxime deplorat sanct. Sixtus Papa Epistola de malis Doctoribus, ubi post multa sic ait: Va misero mihi, nondum ulla, seu virorum, seu famularum adhuc fuerat celebrata divisio, & tamen illorum rudes meliores erant, quam nostri temporis perfecti.

Erant perseverantes in oratione; In qua tria sunt consideranda. Primo, ipsa oratio quanti sit valoris; Secundo oratio multorum; Tertio assidua & perseverans oratio, quae tria hic in praesenti dantur, & ad largos discursus dant thema breviter.

Primo; Oratio valde efficax & multi valoris. Per decem dies stant sancti Apostoli cum mulieribus, & sic disponebantur, ut rorem divini Spiritus in se recipiant. Oratio enim pignus est Spiritus Sancti, praeclearè D. August. serm. 179. de temp. sic loquitur: D. August.

183. Joseph.

Cornel.

184. Tiraq.

185. Niceph. Cedren. Theophil. Euthym. Maldon. Beaux.

186. Act. 12.

D. Hieron. Beda.

187. Multum distans huius temporis a primativa Ecclesia.

D. Chryf.

Sixtus.

188.

189.

D. August.

Oratio pignus spiritus sancti.

Accepto ergo Apostoli ascendenti mandato desuper venturo sancti Spiritus pignore pretioso, in templo erant unanimiter collaudantes Dominum, ut una eos inveniret corona ignea advenientium gratiarum. In templo erant, fratres unanimiter demoremur. Ecce sancti Spiritus pignus, & illex oratio est; Desuper venturo sancti Spiritus pignore. Pignus rei promissae, vel debite substitutio est, & communiter aequali pretio aestimatur, ut ex valore rei pignoratae, creditor in securitate quietat; oratio remanet in Apostolis, pro Spiritu sancti pignore, nam pluviam, ac abundantiam gratiarum, quam Spiritus sanctus descendens largitur, ac communicat, hanc oratio ab ipsomet Spiritu sancto impetrat, ac obtinet.

190. Rom. 8.

Oratio substitutum spiritus sancti. D. Anselm.

191. D. Cypri.

Oratio unanimis multorum clarior est caeli.

Psal. 67.

D. Hilar. D. Hieron. D. Aug. Incogn.

192.

Tob. 3.

Oratio ex aliorum consortio multo vim habet.

Ait Apostolus Rom. 8. n. 26. Nam quod oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, planum est, quod Spiritus nec gemat, nec orat, sed quod ipse facit fieri in nobis, dicitur ipse facere; tanta est nobilitas, ac celsitudo orationis, ut ipsa oratio, habeat vires, ut sit substitutus Spiritus sancti, ac proinde id quod ipsa oratio obsecrat, & impetrat; ipse divinus Spiritus dicitur obsecrare, & postulare. D. Anselmus ibi sic scribit: Nec enim, hoc ita fit de nobis, tanquam nihil facientibus nobis; Adjuvatorum igitur sancti Spiritus sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus, facit.

Secundo. Oratio multorum; D. Cyprianus serm. de oratione Domini sic loquitur: Hi homines erant perseverantes in oratione. Perseverabant in oratione unanimiter in oratione. Perseverabant simul, & concordiam de larantes; Quia Deus, qui inhabitare facit unanimes in domo, non admittit in divinam & aeternam domum, nisi apud quos est unanimes oratio. Deus habitat in suprema empyrea domo sua, unde tamen homines luctuosi, & exules effecti, possunt habere, ut in illam caelestem domum intrent; Quis illas caelestes portas aperire, ac referare poterit una nempe unanimes oratio multorum. Non admittit ad divinam, & aeternam domum, nisi apud quos est unanimes oratio. Et si clausa sit porta caeli, unanimes multorum oratio clavis est ad referandum; Et si ipsa porta caeli alta, & sublimis sit multum distans a nobis, unanimes oratio alios subministrat ad volandum, ac penetrandum. Qui habitare facit unius moris in domo; id est, qui habitare facit unanimes & concordantes in oratione, in domo nempe caelesti; ita D. Hilar. D. Hier. Aug. noster Incognit.

Frequenter Sanctus senior Tobias erat in oratione; cum esset multis calamitatibus oppressus, similiter, & Sara cum esset maxime vexata a serviente Asmodaeo, sic etiam ipsa, ut est probabile frequenter orabat, & nobis non constat quod eorum orationes fuissent exaudita; contigit quod eodem tempore simul orassent, quid inde secutum est: In illo tempore exaudita sunt preces amborum in conspectu gloria summi Dei; & missus est Angelus Domini S. Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Dei recitatae, Tob. 3. n. 24. 25. Ecce toto tempore antea preces Tobiae, & Sarae fusa, non legitimus quod optatum impetraverint, ut modo, ut amborum orationes sortitae sunt suum effectum, & valde sumptuose, ut forte in Scriptura non inveniat simile exemplum, tam facile, ut dicantur orationes recitatae in conspectu summi Dei, & Deus miserit Angelum Raphaellem, unum ex primatibus, ad medicinam amborum; Unde hoc; Ratio desumitur ex contextu Arabico, ita habet: In illo tempore exaudita sunt preces amborum in conspectu gloria summi Dei, & missus Angelus Domini, quoniam orationes acceptae fuerunt uno tempore ante Deum. Observa causalem illam, Quoniam: Et si oratio Iusti Tobiae

v. g. per se solum, vel Sara per se solum, multum potens sit apud Deum, tamen amborum oratio ex utriusque unanimi consortio multas vires acquirit. In illo tempore exaudita sunt preces amborum. Una oratio alteri orationi simultanea dat adjuven, ut felicitatem impetrandi mutetur.

Tertio, assidua perseverantia. Text. ait: Erant omnes perseverantes. Arabicus legit: Erant omnes assidui unanimiter in oratione. Valde efficax, ac potens est oratio continua, & assidua; sic ait Iacobus in sua Canonica cap. 4. n. 16. Multum enim valet deprecatio iusti assidua. Caietanus pro assidua legit: Operans. Vatablus: efficax: Potentia, ac efficacia orationis ab assiduitate, ac continuatione dimanat.

Ait Regius Vates. Psalm. 54. n. 18. Vespere, & mane, & meridie narabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam: Unde Propheta tam confidenter dicit suam orationem exauditam ab ipsa nempe ejus continuatione, ac assiduitate, quia per omnes temporum differentias perseverat, inceptit a mane, & per meridiem usque ad vesperam protenditur; Episcopus Iansen. sic ait: mane, meridie, & vespere, omnique tempore, duarum narabo, & exponam Deo miseriam meam, ac hostium laudem, meorum injurias, certoque confido, quod me assidue illum orante, exaudiet orationem meam.

Mulier illa Cananea a finibus suis egressa fortiter elamat ad Christum pro filiae sanitate; ob ejus multiplicatas preces, discipuli ad divinum Magistrum Rogabant eum dicentes: dimitte eam, quia clamat post nos. Math. 15. n. 20. quas preces rejiciens Dominus ait: Non sum missus nisi ad oves Israel. Mulier maxime afflictata, ad ejus pedes devoluta clamavit: Domine adjuva me; & cum eam Dominus repelleret, dicendo panem filiorum non esse dandum canibus, illa adhuc instans perseverat, quod etiam caeteris edunt de micis, qua cadunt de mensa Domini; Quod audiens Christus dixit: O mulier magna est fides tua, sicut tibi sicut vis: Quod rogatio, ac intercessio omnium Apostolorum non valuit impetrare, obtinuit unius mulieris assidua oratio. Origenes homil. 7. ex diversis ait: Nihil proficiunt, neque ipsi Apostoli suggerentes; velox medicus differi magis curam, & potestatem suam, arte quadam excusat, ut latentia panderet Sacramenta. Ipse Jesus, qui est velox medicus ad nostram salutem sublimi quadam arte dissimulat audire, ut latentia panderet Sacramenta; nempe magnam vim, ac efficaciam assiduae orationis, quae mulier meruit obtinere, non solum optatam filiae salutem, sed etiam, ut ejus fides miraculo esset a Christo laudata: O mulier magna est fides tua.

QUESTIO XXIX.

Quare sanctissima Maria omni principalissima persona scribitur post Apostolos & mulieres?

Ait Textus, quod Apostoli cum mulieribus & Erant perseverantes in oratione cum Maria matre Jesu: Ecce sanctissima Virgo omnium principalissima persona scribitur ultimo in loco post Apostolos, ac mulieres, de quo multum admiratur D. Bernardus in sermone in signum magnum Apocal. 5. 2. Et ut mulierum se ultimam exhibebat, ut novissima omnium poneretur. Quod ejus humilitati adscribit Sanctus Doctor, sic & omnes Commentatores, quos legi, dicunt quod D. Lucas securus est ingenium sanctissimae Virginis Mariae, quae cum esset omnium prima, se omnium novissimam reputabat.

Juxta quam sententiam notavi tom. 5. in Evangelia lib. 8. c. 17. q. 11. n. 37. quod dum Christus penderet in cruce, Joan. 19. n. 24. Scribitur: Stabant iux-

193. Arabic.

Iacob A. Caietani Vatabl.

194. Oratio efficax, ac potens. Psal. 58.

Oratio assidua.

195.

Matth. 15

Quid Apostoli non obtinuerunt, impetravit oratio assidua.

Origenes

196.

D. Bern.

Humilitas Virg. Mariae.

197.

Joan. 19.



ta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleophae, & Maria Magdalena. Ecce juxta crucem nominatur Virgo Maria in principio, hic vero in ultimo loco; ex magno mysterio variatur casus. Ubi sermo est de crucis ignominia, quae a filio in matrem derivabatur, prima Maria scribitur, quia praeceptum, ac prima opprobriorum ejus erat ipsa participans, extra hanc occasionem crucis, eximia ejus humilitas postremum elegit locum.

deficiunt Sol & Luna, scintilla aurora; Vide tom. 2 in Apoc. cap. 12. q. 9. n. 78. & q. 17. n. 146. 147.

Act. 1. n. 15. In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul, ferè centum viginti.) Num. 16. Viri fratres oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum.

VERSIONES.

Syrus, n. 15. Assurgens Petrus in medio. Arabic. Erat autem ibi cœtus quorum nomina, & voluntates consentiebant in hac eadem opinione. Ethiopic. Qui constituiebant personas centum viginti. Graecus. In medio discipulorum, &c. turba nominum. D. Cyr. lib. 1. c. 4. In medio discipulorum. Syrus, n. 16. Justum fuit ut impleretur, &c. quam antea Spiritus sanctus. Arabic. Heus viri oportebat, ut finem assequeretur hæc Scriptura, quam prolulit olim, &c. qui fuit ductor eorum. Ethiopic. Verè oportet, ut impleatur verbum. Pagnin. Dux itineris. Vatablus. Commonstrans viam.

EXPOSITIO VIII.

Verf. 15. IN diebus illis: Id est tempore illo medio inter Ascensionem, & Pentecosten. Exurgens Petrus. Chrysof. ut caput totius Ecclesiae. Oecumen. Cui cura, ac praesidentia discipulorum commissa erat: Petrus discipuli sui officij vices agit. In medio: non in aliquo primario, velut super excellenti loco, sed in medio, ut unus ex ipsis, perbellè D. Bernardus de consid. Si sis egregius, esto quasi unus ex grege. Et in hoc secutus est D. Petrus exemplum sui sanctissimi Magistri Christi, qui dicebat de se: Ego in medio vestrum sum. sicut qui ministrat: Luc. 22. n. 27. Fratrum: sub quo nomine intelligit, non solum Apostolos, ac discipulos Domini, sed etiam discipulos ipsius Petri, ut multi volunt, de quo quaestione sequenti. Turba hominum. Graecus: nomen: id est capitum, seu hominum, Apoc. 3. n. 4. Habes pauca nomina in Sardis, id est hominum.

Ferè centum viginti Spiritus sanctus, qui D. Lucam gubernabat, optimè agnoscebat determinatum numerum, tamen scribit, ferè, seu quasi. Lyran. Non quod Spiritus S. dubitaverit, sed in hoc servatur modus numerantium, communem modum vult divinus Spiritus ut in omnibus teneamus. Centum viginti: tot annos, ut observat Rabanus habuit Moyses ætatis Deut. ult. n. 7. In hoc numero designantur praedicatores Evangelici Clem. Alex. lib. 6. Stromat. Petr. Bongus in suo opere; dicunt altitudinem Templi Salomonis 120. cubitorum, totidem talenta auri dedit Regina Saba Salomoni. 3. Reg. 10. n. 10. totidem talenta aurea praedicatorum dat Deus suæ Ecclesiae: 110. annos Deus praefixit Noë ad poenitentiam. Gen. 6. n. 3. totidem praedicatores ad publicandam poenitentiam in orbe Deus dedit, D. Aug. tr. 2. in ep. Joan. observat in hoc numero duplicatum esse numerum duodecim Apostolorum, multas alias allegorias adducit Autores.

Verf. 16. Viri fratres: de quo multa quaestione sequenti; Impleri scripturam, quam praedixit Spiritus sanctus, de Juda proditore, qui fuit Dux, non ut Capitanus

Pagnin. Vatab. D. August. pitanus, sed dux viæ; une Pagnin. dux itineris. Vatabl. commonstrans viam. Cur autem Christus ad Apostolatam ludam vocaverit, dixi tom. 3. in Evangelica cap. 5. quaest. ult. ex quo habet, ut late, & multis exemplis probat D. August. epist. 137. quod nulla est tam illustris familia, tam nobilis congregatio, quæ etiam non habeat suam facem, & suam navum.

QUESTIO XXX.

Quare D. Petrus cum esset caput Ecclesiae, ad electionem faciendam alios vocat, quos fratres dicit.

204. Magna ex multo consilio faciendam. Maxime in presenti prudentiam Sancti Petri laudat D. Chrysof. qui ad eligendum successorem Judæ in Apostolatu, alios vocat in consilium, tum ob suam humilitatem, eo quod tantum rem non vult diffinire per se solum, sed cum aliis; tum ut selectioni major autoritas, & reverentia reconciliaretur, tum, ut caput Ecclesiae cunctis daret exemplum, quod res ponderis magni non sunt determinanda nisi ex magno consilio; & ideo sanctissimi Romani Pontifices res magnas, & quæ ad fidem pertinent, non diffiniant, nisi ex consilio, ac decreto Episcoporum, ac gravissimorum virorum.

205. Petrus in modo dicendi sequitur Christum. Ad hanc ergo electionem, vocat D. Petrus alios viros sanctissimos, nempe alios Apostolos, ac discipulos Domini, & fortè etiam discipulos ipsius Petri, eosque vocat fratres; non solum fratres dicuntur consanguinei; sed etiam discipuli ac viri ejusdem congregationis, religionis, ac ejusdem fidei, & in hoc modo loquendi imitatur D. Petrus Christum D. qui suos dicebat fratres. In resurrectione ait Christus mulieribus. Ite renunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam. Math. 28. n. 10. & iterum: Unus est enim Magister vester, omnes vos fratres estis. Math. 23. n. 8. Et extendens manus super discipulos suos dixit: quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, soror, & mater est. Math. 12. n. 5.

206. Rom. 4. 1. Cor. 5. Jacob. 1. Apoc. 1. Hunc dicendi modum Christi secuti sunt omnes Apostoli; Paulus Rom. 4. n. 21 salutant vos, qui mecum sunt fratres. 1. Cor. 5. n. 11. I, qui frater nominatur inter vos. Jacobus Apostol. cap. 1. n. 2. Exstimat fratres mei. Joan. 3. n. 3. Gavisus sum venientibus fratribus. Apoc. 1. n. 19. Ego Johannes frater vester.

207. Tertull. Clem. Alex. D. Chrysof. Hujus appellationis rationem assignat Tertull. in Apolog. cap. 30. fratres dicuntur, qui eundem spiritum sanctum biberunt. Clementis Alexandrini. lib. 2. ait: Fratres appellantur, qui sunt regenerati, idque propter mutuam charitatem, ac benevolentiam. D. Chrysof. lib. 1. de compunctione cordis, sic ait: Omnem hominem fratrem tuum judica, in Christo enim; neque Judæus; neque Graecus; neque servus; neque liber; neque masculus; neque femina; sed omnes unum sumus in Christo. D. Basilii homil. 21. in aliquos Scripturae locos; sic scribit: Natura namque una est; bono hic, & ille; una in utrisque necessitas; & statim subdit: Omnes fratres ex uno patre nati sumus; si spirituales quæris coelestis Pater est Deus; si terrena quæris, mater terra est; eæ eodem luto omnes sumus constructi; ex quo soror est natura secundum carnem; soror item generatio est secundum spiritum; eundem tecum sanguinem habet; eæ primo homine; eandem tecum a Domino gratiam habet.

208. D. Chrysof. Luc. 12. D. Basil. Ubi divisio non est fratruum. Ex quo pulchrè D. Chrysof. serm. 162. arguit illum adolescentem, qui dixit Christo D. Dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem. Luc. 12. n. 13. Quomodo fratrem appellat, à quo bona vult divisa; sic ait S. Doctor: Cum dicit; Dic fratri meo, praemisit, quod charitatem nonneat, quod interpellat naturam, quod pulsit affectum, cum vero subiicit; divide, non potest dicere fratri, divide, qui per Prophetam docuit:

Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. Ps. 133. n. 1. Ac proinde in dicitis adolescentis agnoscat S. Pater contradictionem, nam cum dicit fratrem, denotat id quod natura, & charitas postulat; cum vero dicit; divide, negat fraternitatis, ac naturæ affectum.

De Christi lege vaticinatur Isai. 8. n. 16. Liga testimonia, signa legem discipulis meis: quæ verba sapienter exponit D. Cyprian. adversus Iudæos cap. 9. D. Cyprian. Claude, ait, legem Moysi, aperi legem Christi. Apostolis, & discipulis traditur. Quod etiam similiter explicat D. Isidor. Hispalen. lib. 3. sent. c. 12. liga legem Moysi, secundum malam expositionem, quam dabant antiqui de odio habendo inimico, quod lex nunquam, ut dixi suo loco, sed ipsi male ita interpretabantur, aperi legem Christi, Apostolis & discipulis ejus, quibus ipse dixit: Audistis, quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos; ut suis filii patris vestri, qui in caelis est. Matth. 5. n. 43.

Hunc fraternitatis amorem erga alios ex odore Christi hausit Moyses, nam cum exposuisset socero suo se accepisse à Deo mandatum repetendi Aegyptum, ait: Vadam, & revertar, ad fratres meos. Exod. 4. n. 18. Valde miranda est Sancti viri moderatio: qui Deum viderat, cum Deo egerat, qui potestatem à Deo acceperat: Porcians viri gam. Dei in manu sua, &c. adhuc fratres appellat; & si humiles oppressos à Rege in operibus luti, & lateris, eos non contemnit, nec tanta dignitate accepta, superbe erigitur, sed eos fratres dicit, & agnoscit, pulchre Lippom. Non in flatur vocatione sua, nec facta dignitatem adversus assines; Moyses virgâ potens, magnus dignitate, humiles, ac viles vocat fratres.

Act. 1. n. 17. Qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerii hujus. N. 18. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. VERSIONES.

Syrus n. 17. Qui annumeratus erat in nobis, &c. & erat portio ei in ministerio hoc. Arabic. Habuerat sortem.

Eth. Et cū pariceps hujus ministerii esset. Syrus 18. Acquisivit fundum ex mercede peccati, & cecidit super faciem suam super terram, & divisus est à sui medietate, & effusa sunt viscera.

Arabic. Possedit rus, &c. & cadēs prostratus. Ethiop. Tunc emit vineam, & projectus fuit in terram in faciem suam, & diruptum fuit latus ejus. Arias. Et præceps factus est. Graecus. Et strangulavit se. Oecum. Vatabl. Dejecto capite, & in terram prono suspensus.

EXPOSITIO IX.

Verf. 17. Qui connumeratus erat in nobis. Unus quæritur ex duodecim Apostolis: sortitus est sortem ministerii hujus: nempe Apostolatus, & vocatur fors, ut denotetur, quod hæc dignitas, non obvenit ex natura, vel genere; seu merito, sed mera Dei gratia, ac ejus voluntate. Hujus ministerii: Hugo, quod erat prædicationis signorum, ac miraculorum.

Verf. 18. Et hic quidem possedit agrum. Propriè Iuda non possedit agrum, nam reddens argenteos